



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die XX. Julii. In Festo Sancti Hieronymi Æmiliani
Confessoris**

Paderbornae, 1770

Lectio VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62828](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62828)

bus exemplo, Mulieribus à turpi vita ad
penitentiam conversis, aperuit. Soma-
ſchæ demum subsistens, in humili pago
agri Bergomensis ad Venetæ ditionis fines,
ſibi, ac ſuis ibi ſedem constituit, formam-
que induxit Congregationis, cui propter-
eà à Somascha nomen factum, quām sub-
inde auctam, & propagatam, nedum Or-
phanorum regimini, & Ecclesiarum cul-
tui, ſed ad Majorem Christianæ Reipubli-
cæ utilitateim Adolescentium in litteris, &
bonis moribus institutioni, in Collegiis,
Academiis, Seminariis addiectam Sanctus
Pius Quintus inter Religiosos Ordines ad-
ſcripsit, cæterique Pontifices privilegiis
ornarunt.

R. Amavit eum &c.

Lectio VI.

Orphanis colligendis intentus Mediola-
num proficisciuit, atque Ticinum, &
utrobiue collectis agminibus puerorum
tectum, vietum, vestem, Magistros,
Nobilibus Viris faventibus, providè con-
ſtituit. Inde Somascham redux, omni-
bus omnia factus à nullo abhorrebat opere,
quod in proximi bonum cedere pervide-
ret. Agricolis immixtus per agros sparsis,
dum ſe illis adjutorem in metendis frugi-
bus præbet, mysteria fidei explicabat,
pue-

puerorum capita porrigine fæda abster-
gens, & patienter tractans curabat, putri-
dis rusticorum vulneribus medebatur eo
successu, ut gratiâ curationum donatus
censeretur. In monte, qui Somaschæ im-
minet, repertâ specu in illam se abdidit,
ubi se flagellis cædens, dies integros jeju-
nus transigens, oratione in plurimam no-
tæm protractâ, super nudo saxo brevem
somnum carpens, sui, aliorumque noxa-
rum pœnas luebat. In hujus specûs inte-
riori recessu ex arido silice extillat aqua
precibus Servi Dei, ut constans traditio
est, impetrata, quæ usque in hodiernam
diem jugiter manans, & in varias regiones
delata ægrit sanitatem plerumque concili-
at. Tandem ex contagione, quæ per
omnem vallem serpebat, dum ægrotanti-
bus infervit, & vitâ functos propriis hu-
meris ad sepulturam defert, contracto
morbo, annos natus sex & quinquaginta,
quam paulo ante prædixerat, pretiosam
mortem obiit anno millesimo quingentesi-
mo trigesimo septimo; quem pluribus in
vita, & post mortem miraculis illustrem
Benedictus Decimus quartus Beatorum,
Clemens verò Decimus tertius Sanctorum
fastis solemniter adscripsit.

Re. Iste homo &c.

IN